



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Legatum in piam causam studiorum
& reipublicæ.

1. Studiorum causa an sit pia.
2. Privilegium de percipiendis fructibus in absentia studentium concessum; an ad solos Theologos spectet.
3. Studia publicam utilitatem respiciunt.
4. Dotis causa pia censetur.
5. Pia cause quæ dicantur.
6. Studij causa legatum an pium sit.
7. Legatum ad maritandas pauperes pium est.
8. Constitutiones ad literam accipiendæ sunt in exorbitantibus.
9. Constitutio prohibens manus mortuas immobilia acquiri an ad Rempub. extendatur.
10. Ratio est mens & anima legis.
11. Legati incapaci relictæ an pretium debeatur.

CONSILIUM CCCCXVI.

POST absolutum responsum, vide sup. consil. 389. quod dedimus in causa, quæ pendet in Amplissimo Concilio Brabantia inter Thomam Hadissom; contra Magnificum Virum Wilhelmum Chester, & Franciscum Roebyns Reos nationis Anglicanæ; pro parte Reorum quædam ex iis, quæ tunc scripsimus, refricata, quædam in dicto responso prætermissa de novo proposita sunt. * Et primum quidem cum indubitanter verum sit, quod priore consilio pro facilius sustinenda ultimâ voluntate Domini Roberti Tempest diximus, erectionem scholæ Caletanæ piam causam continere; ob id, quod Baldus alibi, in repetit. l. 1. colum. antepenult. de legat. 1. dixerit, relictum causa studii non dici ad pias causas, nisi sit pro studio sacræ Theologiæ: nam, inquit, aliarum scientiarum finis est mundus, hoc est lucrum & honor, Authent. Habita. C. Ne fil. pro patre. Cui consonat quod respondit Cumanus, consil. 28. de fundo dato nu. 3. sub fin. strictè & propriè piam causam non esse, quod pater filio studiorum causâ donat vel relinquit: quorum sententiam etiam sequitur ac probat Iason, in l. 1. in lectura 1. C. de sacros. Eccles. * Quod etiam pertinere videtur, quod privilegia super perceptione fructuum in absentia studentibus concessa ad eos solum pertineant, qui in sacra pagina student, c. fin. de magist. Ioannes. And. in c. 2. de privilegi. lib. 6. Io. Imola in c. Tue de cleric. non residen. & vix tandem post multam contentionem obtinuerit, idem privilegium extendi ad studium Iuris Canonici, DD. in c. Super specula de mag. & in c. Licet de præbend. Felin. consil. 18. Stante consuetudine nu. 7.

Sed nihil obstantibus his, quæ pro detractioe pietatis, seu piæ causæ, Baldo duce, plerique adferunt; communis opinio est, causam studii in genere esse piam, quod in ea versetur publica utilitas, habito respectu ad universalem reipublicæ suppetantur, Instit. in præmio ad finem, sic ut studia principaliter non respiciant privatam utilitatem, sed publicam, Camillus Visitarinus ad l. 1. nu. 185. Solutio matrim. cuius contemplatione, publica studia, & scholæ principaliter sunt ordinata. *

Idcirco communis etiam receptum est, & a Iafone, aliisque, Doct. in d. l. 1. Solutio matrim. & ibid. Thomas Prapalia nu. 99. recognitum, quod causa dotis, ac studiorum æquiparentur: cuius dotis causam quoque piam esse, communiter receptum est, Doct. in d. l. 1. & in l. Si quis Titio De legat. 2. Tiraquel. de pia caus. in præfat. post medium vers. sed adverte quod communis. Vnde ex facto consultus Marcus Antonius Natta, consil. 210. Legatum factum vol. 1. respondit, legatum studij causâ factum in testamento cæci, qui omisâ solemnitate à lege præscriptâ, l. Hac consultißima C. Qui testam. fac. poss. testatus est, ob pietatem sustineri: sicut generaliter legata pia debentur ex testamento non solemn. Alex. in d. l. Hac consultißima, Tiraquel. de pia caus. privileg. 10. scilicet ob publicum favorem.

De quo in proposito casu minus dubitandum est; ob id, quod non privatæ alicui personæ huiusmodi legatum factum sit, sed loco pio, & publico; hoc est scholæ erigendæ, ac faciendæ in oppido Caletano. Iam verò piis causis annumerantur quæcumque publicis & piis locis relinquuntur, sive ut publicum opus fiat, sive ut reficiatur, Doct. ad l. 1. §. ad municipium Ad Leg. Falcid. l. Ad instructionem, l. Illud & ibi Bald. & alii C. De sacros. Eccles. & quos citat Tiraquel. de pia causa in præfatio privil. sub finem; ut ad instructionem, vel reficiendum pontium aut viarum: ita ut generaliter quicquid utilitatem publicam respicit piis causis ascribendum sit, Castrensi. consil. 193. Viso puncto vol. 2. Tiraq. de pia caus. in præfat. sub finem.

Cum ergo huius scholæ erectio publicum opus futurum sit, ad publicam utilitatem; nihil dubitandum est, quin pia quoque sit causa: ut indubitatißimè est brebotrophii, hoc est loci, in quo pueri educantur, d. l. Illud. Et ut aliquid Balbo ejusque sequacibus indulgeatur eo casu, quo legatum omnino privatum est, ac privatam personam respicit, cum scilicet alicui ut studeat, vel studij causa legatur, præsertim diviti; quo casu plerique etiam dotis causam piam esse negant, Laurent. Calcaneus consil. 31. Antonius nu. 22. indulgendum tamen non est, cum legatum non ad peculiarem ac privatam aliquam personam, ut ejus studia promoveantur, sed velut reipublicæ, & respectu universi populi, atque ad omnium studia promovenda refertur; in quo versatur publica utilitas principaliter, & pietatis ratio. Et ut nullus hic relinquatur scrupulus, dicimus ex composito themate hoc legatum constare. Non enim simpliciter legatum est ad erectionem scholæ; sed adjectâ expressim hac finali causâ, ut in ea pauperum filii gratis doceri, & erudiri possint: ita ut apertissimum sit, pauperibus factum esse legatum, & concurrere hic duplicem causam, quæ pietatem causet: publicam scilicet oppidi Caletani, ex opere publico erigendo, & studiorum & pauperum; quibus quicquid relinquitur, pium nullo contradicente dicitur, Doct. in d. l. Illud, Bald. & Lud. Rom. in Authent. Similiter C. Ad Leg. Falcid. * Vnde qui dotis causam piam non esse putant, quando diviti dos relinquitur; piam tamen esse volunt, quoties ad maritandas pauperes datur vel relinquitur, Tiraq. de pia caus. in præfat. circa medium. Ita ut operæ pretium non sit hæc Theologiæ vel Iuris Canonici

Audi

studio aliquid præcipuum, vel peculiare tribuere. Cum alioqui non absurde dici posset, hujus quoque scholæ studium eo referri: quia sit instituta ad Grammaticam discendam; quæ ut omnium artium, ita quoque Theologiæ primum est initium; & sine qua majora constare non possunt.

Alterum, quod de novo proponitur est, an hoc legatum inutile sit, saltem quod attinet ad domum controversam, & à qua origo hujus litis profluxit? ob id, quod per constitutionem Caroli Quinti Imp. vetitum sit, bona immobilia testamento relinquere, aut contractu transferre Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Capellis, Collegiis, divinis locis, aut Ecclesiasticis personis, seu manui mortuæ: adjectâ etiam clausula decreti irritantis, si in contrarium factum fuerit; ita ut ex residui relicto, saltem ista domus eximenda videatur.

8 Caterum verius est, istam domum eximendam non esse; idque multis ex causis. Et primò quidem ex eo, quod in Oppido Antwerpensi domus & habitationes jure mobilium bonorum censeantur: ita ut constitutionem ad literam accipiendo (uti fieri solet in exorbitantibus, odiosis, Ecclesiasticæ libertati aliquo modo repugnantibus constitutionibus, l. 3. §. hac verba De negot. gest. Anchar. in repetit. Canonum statuta col. 9. De constitut.) quia loquitur de bonis immobilibus, nihil in eam peccatum dici possit, si dicamus sub hoc residuo dictam domum contineri.

9 Secundò, quod dicta constitutio, itemque illius ratio, non obtineat quoad erectionem hujusmodi scholæ; quia inter corpora, quibus immobilia acquiri vetantur, propriè non connumeratur huiusmodi literaria schola; sicut nec publici alicujus operis instructio: sed tantum Ecclesiastica loca, & corpora; qualis ista schola profana dici non potest, *elegantè Castr. consil. 301. Prædicta dubia vol. 2. Et sicut dicta constitutio non vetat legari immobilia cuicumque municipio aut reipublicæ (quibus utiliter jure communi legatur ac donatur, l. Si heres §. si vicis De legat. 1. l. Civitatis Ad SC. Trebell. l. Municipibus De condit. & demonstr.) ita nec in causam, quæ immediatè reipublicæ est, separataque est causa rerum divinarum & reipublicæ; quæ ut diversa, non ut eadem reputantur, d. §. ad municipium: ita ut de uno ad aliud non possit certò & inconvincibiliter inferri, l. Papinianus libro De minoribus.*

10 Ratio quoque constitutionis huic erectioni & dotationi non repugnat. Consistit enim illa tum in multitudine aliorum piorum sacrarumque locorum; tum in affluentia opum. At scholarum numquam est sufficiens numerus, & multò minus opum aliqua abundantia; sed in magnâ hujus sæculi ingratitudine, præceptorum, docentiumque vilis merces: ita ut ab expressâ & strictâ novæ legis ratione lex seu constitutio ipsa omnino restringi, & limitari debeat; cum ratio sit mens atque anima legis, l. Cum pater §. dulcissimus De legat. 2. late Præses in loco legis strictæ.

11 Tertiò, quod non obscure ex testamento colligatur, testatorem hanc domum voluisse vendi; ob id, quod omnia bona sua pecuniâ æstimaverit: & in codicillo adjecto apertè præsupposuerit ejusdem alienationem, medietate pretii hospitiæ suæ, cum qua eandem domum emerat, relicta: ita ut

nihil peccatum dici possit in constitutionem, quæ non vetat rerum immobilium pretium locis piis, seu collegiis relinquere.

Et quartò, quod de jure communi personis ac locis, quæ sine suo vitio, sed vel ex professione, ut Monachi mendicantes; vel ex constitutione Principis rerum quarundam incapaces sunt, debeat pretium earum rerum, quarum incapaces sunt, si simpliciter eis testamento legentur, l. Apud Julianum §. sur. cum l. seq. De legat. 1. & ibi Alexan. Castrensi. & Ias. Alexan. consil. 9. Visis dicto nu. 14. vol. 2. Bart. in tract. Minoritarum 2. distinct. cap. 2. Et sic præsuppositâ etiam intentione novæ constitutionis ad publicam scholam, deberetur æstimationis domus ejusdem; quam non Actor, sed Executores distrahere deberent, pro legati præstatione: prout eo fine, & eâ intentione distraxerunt; præsertim quia evidenter constat de hujusmodi voluntate testatoris, quod distraheretur. Quâ voluntate concurrente, respondit Alexander, d. n. 14. etiam deberi æstimationem, si quis rem Ecclesiæ, aut Cæsaris legasset. Atque ita quocumque res vertatur, semper manet certum atque indubitatum, quod ex dicta nova constitutione nullum periculum imminet prædictæ scholæ; quodque inde non debeat ulla restrictio legati fieri. Inherentes itaque priori nostræ resolutioni, arbitramur causam dicti testamenti in tuto ac securo esse.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Legatum ad certam causam.

1. Legatâ pecuniâ ad aliquid faciendum, si sumptus legato minores sint, ad quem restans pecunia pertinere debeat.
2. Testamenti conditio non mutatur ex augmento facultatum testatoris.
3. Legata pecunie certa summa pauperibus ad restituendum male ablata, quò pertineat excrescens summa, dum ablata minora reperiuntur.
4. Clerici intestati bona, qui in pluribus locis beneficia possident, ad quam Ecclesiam pertineant.
5. Episcopus est legitimus testamentorum Executor.
6. Executio testamentaria ad heredem non transmittitur.
7. Legatum non valet, si non invenitur persona vel causa, cui relatum est.
8. Legatum in unam causam quando in aliam converti potest.
9. Testator & intestatus quis potest decedere ex consuetudine.
10. Collegarum maior pars quod decernit sequendum est.
11. Executoribus testamentorum dissentientibus Episcopus intervenit.
12. Iudicium caprum non alteratur ex mutatione fori.
13. Executor testamentarius etiam Laicus per Episcopum cogi potest exequi.
14. Executorum plurium testamentorum an singuli possint in solidum conveniri & exequi.
15. Executor testamentarius an de dolo & culpa etiam levissima teneatur.

CONSILIUM CCCCXVII.

OMINVS Nicolaus Fourmanoir Ecclesiæ Tornacensis Canonicus, ac Pastor loci de Moerbeke, testamentum condidit